

X 1880 937

II m
905

Q. D. B. V.

D I S S E R T A T I O

De

ANTIQUIS ROMANOR.
NUMISMATIB.

Consecrationem

Illustrantibus,

Quam Benivolo Indultu Senatus Philosophici

In Alma Lipsiensi

Publico subjiciunt Examine

M. CHRISTIAN CNORR,

Rut. Sil.

&


BENEDICTUS HOPFERUS, Altorf. Nor.

Phil. Baccal.

Ad d. 16. Junij.

ANNO M DC LX.

H. L. Q. C.



L I P S I Æ

Typis Hered. COLBRIANORUM.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(S.A.B.)


Q.K.
435
50.

27.

~~109~~

148





PRÆLOQVIUM.

Quam vana fuerit Gentilium circa Divinum cultum superstitio, quàmque varia occasio summa Numina multiplicandi, inter alia multa non parùm quoque ostendit absurdissima illa Romanorum ceremonia, quam Consecrationem dicunt Autores; in qua non tantùm multos Imperatores summa virtutis admiratio, sed & immerentes alios adulatio plerumq; atq; ambitio humanam mortalitate exemptos Deorum inferebat numero, & inter Astra collocatos Religiosum Templorum & victimarum cultu venerabatur. De hac post tot alios si & nos paucula proferamus in medium; ne dicas quæso, Lector amice, nos post Homerum Iliada pangere, aut ululas, quod ajunt, Athenas portare: nihil enim exhibebimus, nisi illa de ea saltim monumenta, quæ nobis conservârunt antiqua numismata. Sit itaq; Favente NUMINE

CAPUT I.

De Virtutibus, tanquam mediis consequendæ divinitatis, in nummis expressis.

§. 1. Nummi Romanorum Indigetum vel ipsam illorum Divinitatem certis notis exhibent, vel publicam ejusdem declarationem, Consecrationem scilicet vel honores consecratis exhibitos. Quamvis enim difficillimum sit in tanta, talium nummorum varietate exactè eosdem dispertire, ad has tamen classes pleriq; videntur posse reduci.

§. 2. Circa Divinitatem duo nobis exhibent Nummi, nimirum ejusdem impetrandæ mediæ, & symbola impetratæ. Illa sunt virtutes, quas Cicero appellat Divas propter quas datur ascensus in Cælum. Quamvis enim multos legamus fuisse consecra-

ros, qui nunquam se virtutibus consecraverant; & manifestè testetur Plinius Junior in Paneg: *Neronem dicasse Cælo Claudium, ut irrideret*; nemo tamen facilè negabit, propter virtutes plerumq; Divinitatem tributam esse mortalibus. Unde etiam illæ ipsæ tantis subinde maectabantur honoribus, ut consecratis delubra dedicarentur, & constituerentur Sacerdotes.

§. 3. In Nummis inveniuntur *Virtus, Pietas & Religio, Fides, Concordia, Justitia & æquitas, clementia, indulgentia, constantia, providentia, liberalitas & munificentia, pudicitia*. Quamvis enim adhuc aliæ reperiantur Divæ, quæ propriè virtutes non sunt, sed res tantum expetendæ plerumq;: nimirum *Pax, spes, securitas, tranquillitas, victoria, felicitas, fortuna, abundantia s. ubertas, annona, moneta, salus, letitia s. hilaritas, juventas, fecunditas, nobilitas, honos, libertas &c.* Illas tamen hîc non explicabimus, quia Consecrationis gratiâ in nummis nunquam reperiuntur.

§. 4. *Virtus, s. Fortitudo*, cui primus fanum posuit *Marcellus*, & deinde *Scipio Nummatinus*, testibus *Plutarcho* in *Vita Marcelli*, *Cicerone* de *Nat. Deor.* & aliis; & postea *Victruriô* teste (*Lib. VII. Architect.*) *Cæsus Marius*; in Nummis variè exprimitur. *Neronianus* quidam eandem Figurâ *Militari galeata & paludata* repræsentat, dextra *parazonium* & sinistra *hastam* tenentem, cum *clypeo* ante pedem dextrum & *galeâ* sub eodem. In alio *Neronis* simili figurâ utraq; manu *discum* tenet. *Galba* eandem formâ *juvenis nudi* cum *hasta pura & parazonio*; item *Amazonis* formâ (*Romam* indigitari putant) cum iisdem armis in *galea stantem* expresit: *Hadrianus* *galeatam* cum *pilo & parazonio* in globo; item *succinctam* cum *scipione militari* in *galea stantem* effinxit: eodem modò *Commodus* sed *sedentem*; & *Marcus Aurelius & Septimius Severus*, sed sine *galea*. *Decij & Tetrici* nummi *Amazonem* in *Spoliis* sedentem cum *pilo & lauro* VIRTUTEM AUGUSTI nominant: ubi *Septimij Severi* nummus pro *Lauro victoriolam* habet. In *Caracalle* nummo dextram imponit *tropæo*, cum duobus *captivis assidentibus*. *Geta* expresit figuram *Romæ armatæ* in *Spoliis* sedentis cum *victoriola & cornu copie*. *Severus Alexander* figuram *militarem* cum *jaculo & tropæo*

tropeo item cum *victoriola* pilo & scuto, item cum globo & hasta
 exhibet. *Philippi* duos equites dextras attollentes, *Marcus Aur.*
Val. Maximianus *Herculem* cum exuviis *Leonis* expresserunt :
Victorinus *seminudi* juvenis figuram, cum pilo & clypeo adhibuit.
 Atq; ita nobis *Diva* ipsa exhibetur : præter quam ex nummis et-
 iam fortia quædam Imperatorum facta cernere licet : videlicet
Caracallam *Eqvestrem*, *Barbarum* quendam *jaculô* petentem ;
 item *Trajanum* equitem *Leonis* exuviis capite & corpore indu-
 tum *leonem* conficientem, adjuvantibus duobus militibus pel-
 tatis cum jaculis ; cum inscriptione *DIVO NERVÆ TRAIANO*
OPTIMO AUG. P. P. & in averfa *VIRTUS AUGUST.* ex quibus
 luce meridianâ clariùs apparet, quàm insigne medium conse-
 quendæ Divinitatis fuerit *Virtus*, ut propterea *Galerius. Val.*
Maximianus seipsum dextris junctis cum *Virtute* pactum ineun-
 tem in Nummo quodam expresserit. videatur *Occo Med. Au-*
gust. Numismat. Imper. & Tab. Caroli Ducis Croyjaci loc.
Imp. cit.

§. 5. *Pietas*, quam *justitiam esse adversus Deos, & cul-*
rum erga Majores aut sanguine conjunctos ait Cicero I. de Nat.
Deorum, maximi quoq; semper apud Romanos habita est, ut
 ædem quoq; ei consecraverit *Marc. Acilius Glabrio* *Duumvir* in
Foro olitorio, eo locò, ubi quondam filia Parentem mammis suis
 aluerat teste *Pliniô* Lib. VII. c. 36. *Livio* Libro XL. *Val. Max.*
 Lib. V. c. 4. In nummis vel pietatem in *Deos* cernimus vel in
homines. Illius caput in nummo quodam *Cæsaris* exhibetur, ve-
 latum ; non velatum in nummo quodam *Bruti* adjectò nomine
 suò : velatum & laureatum in alio *Bruti*, cum tripode *Securi* &
Simpulo in averfa, ad denotandos *Ludos Apollinares* à *Bruto* e-
 ditos ; aut ritum sacrificandi, in quo coronam sumebant, (pro-
 pterea enim & *Lepidus* videtur coronasse *Pietatem* in uno &
 coronam cum *Simpulo* coronatæ apposuisse in alio nummo.)
 Velatum & diademate ornatum inter *Tiberij* nummos cum *Gut-*
to, lituo, & simpuvio notis, *Auguratus* & *Sacerdotiorum Tiberij*
 in averfa. *Integra Effigies à Caio* (ob *Pietatem* ejus in dedicando
Templo Divi Augusti, quod in altera numi parte cernitur) *sedens*
 exhibetur, velatò capite tenens *paterã* aditante *Camillo* quodam in

Hadriani quodam stans expansa dextra vota facere videtur: à *Lucio Aelio* stans ante aram velata cum patera voventis ritu effingitur: in *Antonini* quodam eodem modo habetur, sed pro patera acerram tenet: in alio nummo non velata cum canistro aræ adstat victimam attrahens: in *Faustine* I. nummo Thus ex acerra incensæ aræ injicit velata; item alterâ manu tropæum gerens, pateram in aram effundit velata, item non velata voventis gestu acerram tenet: atq; sic quoq; in *M. Aurelij* quodam habetur astante *Camillo*, ut videtur: in *Lucille* nummis modo sedens invenitur, modo stans ad aram cum acerra. In *Diadumeniani* nummo quinque insignibus Pontificalibus lituo, se cespita, Gutto, Capeduncula & asperug illò notatur: ita quoq; in *Decij junioris* nummo, nisi quòd adjecta hîc sit patera.

§. 6. Ubi notandum, hanc Pietatem aliquando Religionem appellari. Exempla habemus in nummis *M. Aurelij*, ubi nobis Templum quoddam exhibetur cum Deo suo, hac adjecta inscriptione: RELIG. AUG. IMP. VI. COS. III. SC. ob qualem Templum etiam *Cajus* Pietatis imaginem in nummo suo exhibuit, ut supra ostensum est. Alius *Aurelij*, *Mercurium* cum Patera & Caduceo exhibet cum inscriptione: RELIG. AUG. IMP. II. COS. III. SC. Propterea procul dubio, quia *Mercurius* credebatur Deorum cultus & Sacrificia ordinasse, secundum *Diodorum* Lib. I. Eundem *Mercurium* Caduceo & marsupio instructum nummus quidam *Decij junioris* exhibet cum inscriptione: PIETAS AUGG. ob eandem causam procul dubio.

§. 7. Neq; tantum eam pietatem, quæ Deos, sed & quæ homines respicit, expresserunt, illamq; variam. *Sextus Pompejus* enim, qui Pium se vocavit, quòd parentis mortem captis armis vindicare studuerit, *Amphinomum* & *Anapiam* *Catanenses* fratres, quibus pietatem Antiqui significabant, in altera quorundam denariorum parte impressit, de quibus videatur *Strabo* Lib. VI. In nummo quodam *Metelli Pij*, & in alio *Cesaris* *Ciconiam* Pietati appictam videmus: & in quodam *L. Antonij* pietatem erga Fratrem sic animadvertimus representatam, ut *Ciconiam* ad pedes, cornu copie verò & gubernaculum navis in manibus habeat; quemadmodum in alio ejus nummo in ma-

nu

nu Pietatis cornu copia, cui due insident Ciconie cum acerra in
 manu altera videre licet. Aliam pietatem in Galba cernimus,
 qui togatus in nummo quodam alterâ manu orbem terrarum
 tenet, altera Juvenis cujusdam caput contingit: unde Inscriptio
Pietatis vel de Adoptione Pisonis vel de pueris alimentariis à
 Galba institutis intelligenda est. Domitiae quoque pietas in num-
 mis exhibetur, quae Caesarem filium nutrit & tutata est; idque fi-
 gurâ sedente, alterâ manu hastam puram tenente, & alterâ con-
 tingente adstantem filium: quae ob causam & Matridie duae ap-
 pinguntur Puella Filia, cum inscriptione *Pietatis*; & Pietas pi-
 Antonini cum infante in ulnis & duobus ad pedes adstantibus
 exhibetur, procul dubio propter institutos alimentarios. Vid.
 observ. ad Tab. Caroli & Occo locis cit. Imp. & hic in Theo-
 dora Constantii. Inveniuntur quoque nummi, quibus Senatus
 erga Imperatorem suum pietas representatur. Ita in quodam
 nummo Aurelij Senatus, formâ Viri Togati, Imperatori dextram
 porrigit, cum Inscriptio: PIETATI SENATUS SC. COS. II.
 P. P. Alii Aurelio Cos. V. item Commodus Cos. V. eodem Sym-
 bolô, cusi sunt. Similem erga Imperatorem Gordianum pie-
 tatem Balbinus junctarum dextrarum Symbolô expressit, cum
 inscriptione: PIETAS MUTUA Augg. ex quibus omnibus non
 leviter apparet, quanti antiquitus aestimata fuerit Pietas, ut pro-
 pter eam inter alia videatur consecrata esse Sabina Hadriani
 uxor, inter cujus nummos tales quidam inveniuntur, qui alterâ
 parte eam appellant Divam, altera vel aram exhibent cum In-
 scriptione: PIETATI Augg. vel Pietatis Imaginem cum Inscr. PIETAS
 Augg. SC. Videatur Occo p. 243.

§. 8. Ad Fidem nunc accedimus, constantiam illam & ve-
 ritatem dictorum & conventorum, quemadmodum à Cicerone,
 describitur 1. officior. Cujus Aedem in Capitolio fuisse Plinius
 innuit Lib. XXXV. c. 10. Nat. Hist. à Numa fortè primùm conse-
 crata & ab Attilio Calatino refecta, quemadmodum ex collatione
 Dion. Halicarn. L. 2. & Cic. L. 2. de Nat. Deor. colligit Rosinus
 L. Ant. 2. c. 18. Illam triplicem nobis exhibent nummi, Publi-
 cam, Augustam & Militarem. Publicam interdum due dextrae
 junctae significant cum Caduceo & duabus spicis, ut in Vespasiani
 quodam,

quodam, interdum eadem cum *Caduceo*, *spicis* & *papavere*, ut in
 alio *Domitiani*. Interdum *Diva* ipsa figurâ mulieris *stolata* si-
 nistrâ *pateram* sive *vacuam* sive *frugibus plenam*, dextra *spicas*
 cum *papavere* tenet, ut in alio *Domitiani*. Interdum sine *pa-*
pavere spicas tantum habens inter *Hadriani* nummos invenitur.
 His Symbolis enim nil aliud voluerunt indicare antiqui, quam
 fructum, qui existere solet, è *Fide*, *Pace*, & *Concordia*, quem-
 admodum innuit *Anton. Augustinus Antiqu. Dial. II. p. 18. Au-*
gusta *Fides* si mutua intelligitur duabus *dextris junctis* notatur, ut
 in *Balbino*; Si respicit *populum*, *foemina stante*, sinistrâ *cani-*
strum florum & frugum, dextra *spicas* tenente, exprimitur: ut in
Platina vid. *Occo*, p. 428. & 221. ubi alia quoque; *Figura*, sinistra
Caduceum tenens & *dextram elevans* sub *fidei* nomine inveni-
 tur. *Militaris* in Nummis *Macrini*, *Severi Alexandri*, *Valeriani*,
Tetrici, *Taciti*, *M. Aur. Maximiani* & aliorum, interdum *stans*,
 interdum *sedens* inter duo *signa Militaria* invenitur, præter quæ
 à *Severo Alexandro* cum *Cornucopia*; à *Caracallâ* cum *victoriola* &
bacillo; ab *Elagabalo* itidem cum *cornucopia*, item cum *turture*
 (secundum *Augustinum Dial. Antiqu. p. 18.*) exprimitur. Inter-
 dum quoque per 4. *signa militaria*, ut in *Philippi* nummis, interdum
 per *duas dextras*, sive *solas*, ut in *Antonianis*, & *Vitellianis*, sive
 cum *aquila* aut *Caduceo*, ut in numismatibus *Albini*, notatur.
Antoninus *Philosophus* *Figuram stolatam* cum *victoriola* & *signo*
militari, *Caracalla* cum *labaro* & *signo*, *Philippus* cum *pilo* & *spoliis*
Valerianus cum *hasta* & *bacillo*, *Elagabalus* *galeatam* cum *hasta* ex-
 hibent. In *Commodi* nummis *Imperator Cohortes alloquitur*, quæ
 datam *fidem* ipsis in *memoriam revocaturus*: In *Domitiani*
 quodam *milites super aram fidem suam Imperatori datis dextris*
 obligant. Quæ omnia clarissimè ostendunt, quanta gloria
 fuerit *Imperatoribus Fides Exercituum*, & quanto studio ipsi
 quoque coluerint *Fidem* non *mutuam tantum*, sed & *publicam*.
 §. 9. *Concordie* cui 4. vel 5. *Ædes Roma consecratas fu-*
isse *Rosinus* perhibet *L. II. c. 18.* vel *Symbola* in nummis cerni-
 mus, vel *effigiem*. Inter *Symbola* (1.) *juncta dextra* occurrunt,
 quas *Concordie insignia* esse ipse quoque *Tacitus* docet *Histor. L. I.*
 Illæ vel *solæ* exhibentur, ut in quibusdam *Tetrici* & *Macrini*, vel
 in pro-

in prora navis signum militare tenent, ad denotandam Concor-
diam terrestriam & navalium Copiarum, ut in *Antony & Ner-*
ve nummis observatur. Inveniuntur quoque tres *dextra junctæ*
in nummis *Antony*, ad denotandam concordiam Triumviror.
Item in *Antonini Pij* nummis, fortasse ad denotandam Concor-
diam Trium Ordinum Pop. Rom.: quemadmodum à *Valeria-*
no Juniore adhibentur ad designandam Concordiam *Valeriani,*
Gallieni & Valer. Jun. (2.) Huic symbolo ad fine est illud, quo
due Figura dextras jungunt, quæ vel sunt *Imperator cum conjugē,*
in nummis *Caracalle, Plautille, & Faustine I.* vel *duo Augusti*, sic-
ut *M. Aurelius & L. Verus* exhibentur. Vel *duo milites*, ad mi-
litam concordiam exhibendam, quemadmodum in numismati-
bus *Aureliani* cernimus. (3.) Huc referendæ quoque videntur
conjunctæ in nummis *facies*, quæ Concordiæ inscriptionem ha-
bent, quales sunt *Imperatoris Severi, & conjugis Juliae* apud
Ocon. p. 344. (4.) Symbolum Concordiæ est *Cornix* in au-
reo quodam *Faustinae I.* Unde *Alciatus*:

Cornicum mira inter se concordia vite est,

Inq, vicem nunquam contaminata fides.

Vid. *Occo*. p. 297. Similem in *Tabb. Caroli* inter *Domitie* num-
mos invenimus, ubi *Cornix* ramusculo cuidam arboris insidet,
Concordiam & fidem conjugalem denotans secundum *Politian.*
Miscell. C. 67. (5.) Huc etiam *Pavo* refertur, quem in alio *Do-*
mitie observamus, cum inscr: *CONCORDIA AUGUST.* est e-
nim avis *Junonia*, quæ *Dea Concordiæ Conjugali* præsidet.
(6.) Concordiam etiam, sed *exercituum*, designant *tria signa mi-*
litaria in nummis *Antony & Severi Alexandri*, quæ (7.) etiam
per *Martem*, *dextra scipionem* aut *pilum*, *sinistra tropæum* te-
nentem, in *Vitelly*; (8.) per *militem stantem* inter *quinq, vel sex*
signa militaria, in *Septimij Severi & Getæ*; (9.) per *victoriam* cum
palma in *Probi* nummis significatur. (10.) Concordiam bellô
partam *Theodosius* per *victoriam galeatam*, sedentem *dextrâ ha-*
stam, *sinistrâ clypeum* tenentem exhibet: quam in alio nummo
per figuram *galeatam* cum *globo crucigero & scipione* sedentem
repræsentavit. *Effigiem Concordiæ Matronali habitu stolatam*
plerumq; animadvertimus modò stantem modò sedentem:

B

sæpissi-

sæpissimè cum *Patera* ad Divinitatem illius & *cornucopiae* ad u-
 bertatem ex illa nasci solitam demonstrandam: In nummis
 videlicet *L. Aelij Hadriani, Faustinae, Severi Alexandri, Nerva, M.*
Aurelij, L. Veri, Vitellij & aliorum. Ubi notandum, interdum
duplex observari *cornucopiae*, qualem videmus in nummis *Plautil-*
lae, & Otacillae, Argumentum videlicet duplicis ubertatis, majorisq;
 fecunditatis, ex hac virtute ortæ: quam ob causam quoq; in-
 terdum *spicas* habet cum *Lance Saturæ*, interdum *ramum* in *Fau-*
stinae II. & Vitellij Nummis ad lætitiæ ex concordia natam de-
 signandam. *Cornucopiæ* enim & *ramus* hilaritatis symbola
 sunt, quia rami propter viriditatem lætitiæ quandam præfe-
 runt videlicet observ. ad Carol. Tab. 44. n. 3. In *Hadriani & Veri*
 quibusdam sedentis *Concordiæ* brachium à *Spe* sustentatur, ita
 ut illa simul digitum in *cornucopiae* intendat; ad significandam
 spem abundantiæ ex *Concordia Hadriani & Sabinæ*: in quem
 finem quoque in quodam *Faustinae II. Spei* habitu sedet cum du-
 plici *cornucopiae*. Alibi cum *hasta* spectatur in *Vitellij* scilicet &
Plautilla numismatibus *Concordiæ* robur designans, nisi fortè
patera & hasta pura sicut alibi sæpissimè, ita & hinc divinitatis in-
 signia sunt. In *Faustinae* quodam *Columnæ* innititur ad stabili-
 tatem denotandam: in quodam *Aurelij M. Aurelij* & *L. Ve-*
rum Pallio complecti videtur, conjunctionem animor. designans:
 In quibusdam *Antonianis* dextrâ *Caduceum*, sinistrâ *cornucopiæ*
 habet cum inscr. **CONCORDIA PRÆTORIANORUM**: Atque
 sic felicitatis è militum *Concordiæ* natæ indicium est, quam et-
 iam designat cum in *Antonini Pij* quodam *Victoriolam* cum signo
militari in alio ejusdem *Victoriolam* cum *cornucopiæ* tenet. Ejus
caput velatum cum *diademate* in quodam *L. Mussidij Longi* De-
 nario exhibet Ursinus p. 168. Atque sic olim culta fuit *Concor-*
dia. Ita quidem, ut inter alia propter eam, quoque consecrata
 videatur *Faustino*, quemadmodum patet ex nummo: **DIVA**
AUG. FAUSTINA.

CONCORDIÆ due *Figure*, jungentes dextras apud
 Occon. p. 273. Iccirco quoque in quibusdam *Antonini Caracallæ*
 & *Plautilla* appellatur **CONCORDIA FELIX**, imò *Caracalla* pa-
 rentes consecratos non rectius honorari posse censuit, quam si
 cum

cum aliis virtutibus divinitatis illorum causam quoque Concor-
diam fuisse testaretur: ideoque pulcherrimum hunc nummum
cudit: ANTON. P. AUG. PONT. TR. P. V. COS. Antonini facies.

CONCORDIÆ ÆTERNÆ Severi & Juliae facies
conjunctæ, Imperatoris radiata apud Occon. p. 371.

§. 10. *Justitia* quoque inter illas Divas est, propter quas
datur ascensus in cœlum, ideoque in nummis *Hadriani*, *Sept. Se-*
veri & Severi Alexandri dextra *pateram*, sinistra *hastam puram*
tenet. In *Nervæ* nummis aliquando dextra *hastam*, sinistra *ra-*
rum; aliquando pro ramo *balancem* tenet. Semper autem *se-*
dentis habitu est, quod sapientem judicem matura deceat deli-
beratio. Ejus caput in quodam *Tiberij* nummo exhibetur, *for-*
mâ integrâ, severâ, vivida, non velatum, sed ornatum diademate.
Vid. Ant. Augustin. Dial. 2. p. 20. Car. Tab. 17. n. 16.

§. 11. Ei ferè æqualis est *æquitas*, ideoque ferè semper
cum *balance* effingitur, *stolata* stans: ita ut præterea interdum
cornucopiæ, ut in nummis *Sept. Severi*, *Getae*, *Nervæ*, *Albini*, *Sev.*
Alexandri, ad denotandam felicitatem inde natam: interdum
virgam, quia omnibus æqua est, & quæ pertica metiri loca solet.
Aug. Dial. Ant. p. 21. ut in aliquo *Vespasiani* nummo: interdum
hastam obtineat in *Vespasiani*, *Domitiani*, *Vitellij*, *Hadriani*, *Gal-*
bæ &c. nummis ad indigitandam ipsius divinitatem. Ob quam
causam in *Macrini* quodam *pateram* tenet cum *cornucopiæ*.

§. 12. Jam *Clementia* sequitur quam non tantum tan-
quam Divam cum *patera & hasta pura* effigiârunt *Hadrianus*,
Antoninus P. Albinus &c. sed etiam honore templi dignam
censuit Senatus Romanus. Plutarchus enim in *Cæsare & Dio*
Lib. XLIII. testantur, *Senatum Clementiæ, Æquitati, Libertati*
Publicæ, Concordiæ Novæ, & Felicitati tanquam Deabus in Cæsaris
honorem templa dedicasse: Hinc in quodam *Cæsaris* nummo in-
venimus caput *Clementiæ benigno vultu, diademate ornatum ap-*
posito ramô oleæ ut videtur, in *Misericordiæ* signum; in averfa
autem *Templum* apparet cum *statua ramusculum oleæ & hastam*
puram tenente, quæ procul dubio illa clementia est, quæ (teste
Plinio Lib. VII. Cap. 25.) usque ad *pœnitentiam omnes superavit*
Cæsar. Ejus *Templum* quoque exhibet alius quidam *Cæsaris* num-

mus à *Sepullio* cufus cum Inscr. CLEMENTIÆ CÆSARIS. Vid. Occo p. 15. Porrò ejusdem caput quoq; in *Tiberij* nummis observatur. Ipsa verò *Diva* interdum cum *Ramo oleæ & hastâ purâ*, ut in *Vespasiani & Vitellij* numismatibus, interdum cum *patera* repræsentatur, *pallam aperiens*, refugium miseris, ut in quodam *M. Aurelij*.

§. 13. Huic adjungemus *Indulgentiam*, quam *Caracalla* exhibet cum *Patera*, ob divinitatem, & *Sceptro*, quòd *Sceptrum* tenentes deceat indulgentes esse. In *Hadriani, Antonini P. & aliorum* nummis *dextram* quæ è Cælo oriunda in *sublime erigit*, & ad indicandam vim suam *hastam* tenet. *Septimius Sev. & Caracalla*, quod in *Carthaginenses* suam exercuerint indulgentiâ, *Iraniam*, qualis ab *Afris* colitur, *Leone vectam* repræsentârunt. Et *Postumus*, quod *Tributa Galliæ* remiserit in nummo quodam *hominem procumbentem surgere jubet*, cum Inscr. INDULGENTIA PIA POSTHUMI AUG. Huc *Anton. Aug. Dial. 2. p. 30.* nummum *Gordiani* refert, in quo *fœmina stat leonem inter & Taurum*, qui videatur.

§. 14. Nos *Constantiam* quoq; attingemus; quæ inter nummos *Claudij* potissimum interdum *Subsellio insidens*, interdum *stans galeata & hastata dextrum indicem attollit*: notâtque præcipuè *constantiam* in jure dicendo & excubando pro *Rep. Vigiles* enim in *Columna Trajani* perpetuò eò modò cernuntur. Sub ejus Inscr. *Antonia Cornucopie* sicut omnes ferè virtutes, & *facem* tenet ob sacerdotium, *D. Augusti. tab. Car. 17. 24.*

§. 15. Sed & *Providentia* inter *Divas* istas locum habet, quæ in nummis plerumq; *globum* habet appictum, sive in *dextra*, ut in *Posthumi* nummis; sive *ad pedes*, ut alibi sæpissimè, quo nihil aliud, quàm *orbis terrarum ejusdemq; gubernatio* designatur: Hinc eundem interdum *virgâ* attingit, quasi *versatura eundem aut leges illi consistendi præscriptura*, ut in quodam *Antonini Pij*; interdum *manu dextra monstrat*, ut in aliis *Hadriani & Septimij Severi*. Ad-hæc *hastam* tenet in *Trajani, Antonini Pij, Hadriani, Albini, Septimij Severi, Posthumi, & aliorum* numismatibus ad designandam summam *providentiæ auctoritatem & robur perpetuum* cum adjuncta *divinitate*. In *Trajani, Commo-*

Commodi, & Albini nummis ramum habet, olea ut videtur, Pacis nimirum symbolum, in quam potissimum directa esse debet, Providentia Imperatorum. Hadrianus eam cum Spicis exhibet, eodem modo Commodus; sed quia ipse volebat Hercules Romanus vocari, ideoque semetipsum formam Herculis nudi cum clava, dextro crure insistentem Prorae, dextra ramum tenentem, cum aliquot spicis in nummo expressit: Spicæ autem, quas Providentia etiam in Severi Alexandri quodam, sed super ara tenet, nihil aliud denotant, quam curam annonæ ejusdemque ubertatem, quam etiam designant papavera in Severi Alexandri nummis ipsi appicta. Papaver enim Cereri sacrum est, hinc Cereale dicitur Virgilio I. Georg. Porro Cornucopiæ, quod gestat in Nummis Severi Alexandri, Gordiani, Posthumi, & aliorum (præter id, quod insigne est omnium ferè virtutum) etiam argumentum est felicitatis è Providentia Imperatoris natæ; quodque cum eodem Columnæ innixa à Gordiano & Posthumo exhibetur, stabilitatem felicitatis & Constantiam Providentiæ indicat. Cæterum & illud, Providentiæ adscribitur, cum Nerva & Trajanus in Nummis suis Imperium Globo denotatum à Senatu, & Titus illud à Patre accipiunt. Vid. Occon. & Car. Tab. h. l. Tandem etiam Symbola quædam Providentiæ notanda sunt, nimirum Caput Solis in Antonini Caracallæ & Ara in Augusti, Vespasiani & Titi nummis: quemadmodum enim rectè in Prosopopœia solis Ovid. Lib. IV. Metam, v. 235.

Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,

Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,

Mundi oculus.

Ita Providentia rectè à videndo derivatur, quippe, cujus natura in eo potissimum consistit, ut futurum aliquid videat, antequam fiat, & quidem ad devitanda mala & procuranda bona necessaria. Vid. Cic. de Inv. L. 2. C. 53. Ara autem propterea nota est Providentiæ, quia argumentum Divinitatis est, Dei autem proprium est regere mundum providentiâ. Vid. Anton. Aug. Dial. 2. p. 25. Nisi fortè ara illa Providentiæ dedicata est, ut huc referenda sit antiqva illa inscriptio in observat. ad Tab. Car. p. 28.

§. 16. Ad Liberalitatem pervenimus Divam Militibus

B 3

& Po-

& Populo charissimam, quæ plerumq; per *Congiarium* Imperatoris denotatur; sicut id in Nummis *Hadriani*, *Antonini Pij*, *Maximini*, *L. Veri*, *Marc. Aurelij*, *Commodi*, *Getæ*, *Elagabali* & Alior. observari potest. Interdum tamen præter Imperatores sedentes in nummo nihil exhibetur. Vid. nummi *Gordianorum* & *Philippor.* Sæpe *liberalitas stolata* dextra *Congium*, sinistra *cornucopia* tenet, quemadmodum eam *Hadrianus*, *Caracalla*, *Sever. Alexander*, & alii expresserunt. In nummis *Commodi* eadem *Teseram frumentariam* cum *cornucopia* tenet: in *Hadriani* v. *Cornucopia effusura* videtur significatione ubiq; manifesta. Liberalitati adfinis est *munificentia* in Ludis potissimum occupata; hinc ut plurimum per *Elephantem* designatur, in nummis videl. *Septimij Severi*, *Antonini Pij*, *Commodi*, *Caracalle*, &c. In quodam tamen *Antonini Pij* *Pateram* & *hastam puram* tenet cum *animali* quodam ad dextrum pedem, fortè *Elephante*: unde patet, eam quoq; inter Divas numeratam esse.

§. 17. Restat *Pudicitia*. Diva *peplô velata* sedens & dextra *velum faciei obtendens* cum *hastâ* sinistra; quemadmodum in nummis *Abstilianæ*, *Sabinæ*, *Otacillæ*, *Lucillæ*, *Saloninæ* &c. observari potest. In quodam *Faustine II.* *dextram* quasi pudore suffusa *ori admovet*, sinistra *stolam* quasi modestiæ causa *tevens*. Sæpe quoq; per *Vestam* denotatur, vid. Obs. ad Tab. Car. 30. n. 24. & 33. n. 18. De *eius ara* videantur Nummi apud *Oecon.* p. 221. & alibi. Atque hæ sunt illæ Divæ, virtutes nimirum consecratæ, ob quarum studium ipsis quoq; Imperatoribus collata fuit Divinitas. Reliquæ cum propriè virtutes non sint, & res tantum expetendæ Divinitate donatæ & consecratæ in tanta paginarum angustia à nobis dilucidari non possunt, videatur *Anton. Augustinus Dial. Antiq. 2. p. t.*

CAPUT II.

De Appellatione Divorum, Æternitate, Insignibus & habitu Deorum; Cometa, Coronatione à Jove facta, stellis & bigis.

§. 1. Visus itaq; Mediis Divinitatis impetrandæ, videndum quoq; est, quibus modis illa, cum jam impetrata esset, in

in nummis exprimat, ita tamen ut ea, quæ ad ipsam Consecrationis ceremoniã pertinent, hîc nondum consideremus. Primò ergo ante omnia occurrit *Denominatio*, juxta quam illi, qui suis meritis humanam sortem excessisse videbantur, & alii consecrati *Divina* quoque accipiebant nomina & quidem pro temporum varietate varia: inter quæ communissimum est illud, quo *Divi* dicebantur Imperatores & Augustæ *Dive*. Hinc toties in nummis legitur **DIVUS JULIUS** & **DIVOS JULIUS** (antiquò more, ut aliàs **VOLCANUS** in nummis, & apud Comicos sæpe volt, voltis, Davos, fortè ne duo **VV.** concurrerent. Vid. Anton. August. Dial. Antiq. 6. p. 98.) item: **DIVI JULII** & **DIVO JULIO**. Hinc & Augustus **DIVI F.** dicitur, & ipse **DIVUS AUGUSTUS** & **DIVUS AUGUSTUS PATER PATRIÆ**. Gaudentque hòc nomine, quantum ex nummis apparet præter *Julium* & *Augustum* *Claudius*, *Vespasianus*, *Titus*, *Domitianus*, *Nerva*, *Trajanus*, *Hadrianus*, *Antoninus Pius*, *Marcus Aurelius*, *L. Verus*, *Commodus*, *Pertinax*, *Sept. Severus*, *Geta*, *Alexander*, *Gordianus*, *Decius*, *Volusianus*, *Valerianus Galieni*, *Valerianus Valeriani*, *Macrianus*, *Posthumus*, *Claudius Gothicus*, *Carus*, *Numerianus*, *Maximianus*, *Constantius*, *Maximianus II.* *Romulus*, *Nigrinianus*, *Constantinus M.* *Constantius Secundus*. Inter Augustas vero *Dive* dicuntur, *Julia seu Livia Augusti*, *Domitilla Vespasiani uxor*, *Julia Titi Filia*, *Plotina Trajani uxor*, & *Soror Marciana*, hujusq; *Filia Matidia*, *Sabina Hadriani*, *Faustina utraq;*, *Julia Severi*, ejusq; *Soror Mesa*, *Paulina Maximini*, *Mariniana Valeriani*, *Justina Valentiniani*. Quamquam hujus appellatio Christiano more sit intelligenda, sicut & *Constantini*, ejusq; *successorum*. Præter hos autem ab autoribus etiam *Divi* & *Dive* dicuntur *Poppæa*, *Neronis filia*, Tacit. L. XVI. *Domitilla Vespas. F.* Stat. Sylv. I. *Antinous Spart. in Hadrian.* *Caracalla Spart. Mammea Lamprid. in Alex. Gordiani priores Herodi. L. VIII. Philippi. Aurelianus Eutrop. L. IX. Diocletianus ibid. Constantinus Junior, Cod. Theodof. Constantius Eutrop. L. X. Julianus ibidem. Jovianus ib. Valentinianus Magnus. Marcell. Com. Valens Cod. Theod. Gratianus ibid. Valentinianus Junior ib. Theodosius ibidem. Arcadius ibid. Honorius ibidem. Theodosius Junior Cod. Justin. Placid. Valentinia*

tinianus ibidem vid. Onuphr. Panvinius. Civ. Rom. p. 79. seqq.
Huc referendus est ille nummus, in quo *figura radiata sedens*
dexterâ pateram, sinistra hastam tenet, cum inscr. AUGUSTO
DEO, apud Occo. p. 80. Hoc enim titulô major non erat.
§. 2. Cæterum & alia Divinitatis nomina Augustis
tributa hinc inde in numismatibus reperiuntur. Ita *Hercules Ro-*
manus appellari voluit *Commodus*, propter feras quasdam occisas &
Elephantem & orygem contô transfixum. Vid. Lampr. h. l. Hinc
sæpius in nummis ejus *caput cum exuviis Leonis*; item *Hercules*
nudus agens boves cum inscr. HERC. ROM. COND. COS. VII. P. P.
(quo Schemate ipsi quoque statua posita est teste Xiphil. ex
Dione h. l.) item *Hercules cum exuviis Leonis stans coram*
Tropeo cum inscriptione: HERCUL. ROMAN. AUG. item *Nu-*
da Herculis clava & alibi *arcus & pharetra* cum inscr. HERC.
ROM. CONDITORI P. M. T. R. P. X. VIII. COS. VII. P. P. Et
alia ab Hercule desumpta Symbola inveniuntur & quidem ple-
rumque ex SC. Quamquam habitu *Herculis* & alios Imperatores
sæpius ornatos videamus, nimirum *Trajanum* in nummo quo-
dam Tab. Carol. 34. n. 8. *Claudium* in statua quadam Romæ
adhuc exstante, *Domitianum* apud Martialem, *Hadrianum* quo-
que in nummis & alios. Vid. ad Carol. Tab. Observ. l. cit. Et in-
frâ §. II.

§. 3. Porrò & *Pietatis* nomen ita fuit adhibitum, con-
stat enim ex Dione & Fastis Capitolin. *L. Antonium* M. fratrem
ob pietatem in fratrem illud sibi imposuisse. Unde in
nummis ejus *Pietatis* imaginem invenimus cum inscr. PIETAS
COS. Vide Occon. p. 28. & Car. Obs. 8. l. 13. *Herois* quoque no-
men huc pertinet, quod *Antinoo* suo dedit *Hadrianus*, quemad-
modum ex nummis liquet.

§. 4. Ad *Elagabali* nomen accedimus per quod *E-*
miffeni Syri *Solem* intelligebant, quemadmodum ex nummis
Imperatoris *M. Aurel. Antonini Varij* apparet, in quibus ipse
vocatur. SACERD. DEI SOLIS ELAGAB. expressitque; *Sejuges*
trahentes montem coniformem ipsius Dei simulacrum cum inscr.
SANCT. DEO SOLI ELAGABAL. apud Occon. p. 403. & alibi.
Illud sibi attribuit ille *Bassiani* *Caracallæ* F. Imperator, quumque
in.

ia plerisq; numis tantum *Antoninus* aut ANTONINUS PIUS, a. M. AUR. ANTONINUS PIUS appelletur, in quibusdam tamen IMP. CAES. M. AUR. ANTO. ELAGAB. PIUS AUG. dicitur. Tumq; in signum divinitatis, *coronam radiatam* gestat. Vide Occon. p. 400. Ad talia nomina quoq; quidam referunt nummum *Valeriani* Valeriani Filii, in cujus altera parte ejus *effigies* cum inscript. VALERIANUS CAESAR altera vero *Jupiter vel Valerianus specie Jovis, insidens Caprae Amaltheae* cum inscr. JOVI CRESCENTI. Vid. Tab: Carol. 60. n. 18.

§. 5. Mentio quoq; *Domitiani* facienda esset, qui *Minervae filius* dici voluit, unde praecipue hanc Deam ex omnibus coluit. Gevartius Papinianarum lect. l. 4. c. 1. ejusq; effigiem in nummis saepissimè exhibet. Item dicendum esset de *Faustinae Marci*, quae *Mater Castrorum* dicta est, unde quorundam Nummorum talem legimus inscriptionem DIVAE FAUSTINAE AUG. MATR. CASTRORUM. Item de aliis, qui *Jovis* nomen usurparunt vivi: sed paginarum angustia prohibet. Vid. de his Capitol. & Xiphil. h. l. item Tranq. in Calig. & alii. *Matris Castror.* tamen titulo quoq; *Julia Severi* gaudet apud Occon. p. 365.

§. 6. Praeter hanc Divinitatis denominationem occurrit *inscriptio AETERNITATIS*, quae satis aperte denotat, vel jam peractam esse consecrationem, vel tanti aestimari ejus Personae merita, ut omnino Consecratione digna sit. Illam in nummis *Titi, Domitiani, Trajani, Hadriani, &c.* specie virginis videmus *stolatam & velatam*, interdum *capita solis & lunae in manibus tenentem*, quia illa sidera Romani aeterna esse putabant cum Aegyptiis, de quibus Horus Apollo in Hieroglyph. h. l. αιωνοσημαίνοντες, ήλιον και σελήνην γράφουσι. Hinc in Antiqua quaedam Inscriptione, observ. ad Tab. Caroli p. 41. haec legimus:

AETERNITATI

SACR.

SOLI ET LUNAE.

In multis *Vespasiani* coram ara stat haec Figura, quia non tantum ipsa, sed etiam Aeternus ille Augustus sacrificior. honore colendus erat. *Hadriani* numismata sola *Solis & Lunae Capita* exhibent apud Occon. p. 233, 236. In *Faustinae* nummis *hastam puram*

C

habet

habet indicium suæ Divinitatis *dextramq;* protendit, quasi vana dicat esse omnia terrestria. Ibidem interdum *globum dextra gerit*, egregium Æternitatis Symbolum, sive quia Figura Sphærica neq; principium, neq; finem habet, sive quia globus mundum repræsentabat, quem æternum esse pleriq; priscor. putabant: Hinc toties *Roma ipsa æterna* dicitur in nummis; & in *Faustina* quodam *æternitati* appingitur *gubernaculum ad globum*, quasi designet, Romanum Imperium, (cujus nutu totus gubernabatur mundus, quodq; sæpè aliàs per globum denotatur) non cessaturum, quamdiu perduraret æternitas. In aliis *Faustina* nummis interdum *velum à collo pendens dextra* tenet, ut velut *circulum* quendam fine carentem efficiat. Sinistra autem *facem* habet, fortè ob æternitatem ignis, quam cum Hippocrate credebant antiqui: interdum *stolam sinistra comprehendit*, ut indicet, à nemine comprehendi posse æternitatem, nisi ab æternis, *dextraq;* *Phœnicem globo insidentem* tenet, duplex Symbolum æternitatis; quale etiam *Trebonianus Gallus* exhibet apud Occ. p. 455. Interdum *vestem per modum circuli caput ambientem sinistra tenet*, Circulus autem æternitatis typus est, interdum *globum tenens altera manu ostendit Cælum* suam sedem. Aliquando *alata cum face* exhibetur, *Faustinam in cælum portans*. In *Philippi* nummis per *Elephantem* indicatur, quia hoc animal longissimò tempore vivere dicitur. *Tacitus* ipse se à victoria coronatum (quemadmodum alibi *Posthumum coronat Hercules*) in nummis suis expressit: utrobiq; inscriptionem *Æternitatis Augustæ* legimus, ad designandam Fortitudinem, non minimum consequendæ divinitatis medium, *cujus victoria est filia & Hercules Exemplum.*

§. 7. Tertiò Divinitatem quoq; cognoscimus ex insignibus aliorum Deorum habituq; divino, Augustis tributis. Interdum enim reperiuntur effigies, quæ *Pateram & hastam puram*, Divinitatis Insignia, tenent, ut *Augusti*, item *Livia*, (in quibusdã *Galbæ* nummis) item *Faustina*. Interdum *coronam radiatam* gestant, ut consecrati Imperatores ferè omnes, quanquam non soli. Item *velata habent capita*, ut *Domitia Vespasiani*, *Sabina Hadriani*, *Faustina utraq;*, *Paulina Maximini*, *Constantius Chlorus* & alii

& alii fortè, quod sanctitatis indicium erat, quia hòc habitu sacrificârunt Veteres, & Divinitatis, quia sic multæ Divæ colebantur. Præterea tamen & *Jovis*, *Apollinis*, *Mercurij*, *Herculis*, *Geniorum*, item *Junonis*, *Veneris*, *Cereris*; *Cybeles*, *Dianæ*, item *Constantiæ*, *Pietatis* & *Spei* &c. habitum hinc inde videmus Imperatoribus, aliisque consecratis tributum.

§. 8. Et *Jovis* quidem *insigne Aquila*, in illo *Cæsaris* apparet, in quo *Venus cum galea & clypeo Cæsaris ante aram consistit*, in qua stat *aquila* ad designandum procul dubio illum *Cæsaris* honorem, quo ipsi *Jovis* cognomen palàm impositum erat apud *Dion. L. 44.* Apparet quoque in *Augusti* quodam, *crepidini cujusdam aræ insidens* cum *Inscriptione: CONSECRATIO.* Quia enim Imperatores cum *Jove* comparare solebant antiqui, ideoque consecratorum animas ab *aquila* in cælum deportari dicebant, non aliter atque *Jupiter* ab *aquila* portari solet, de quibus postea dicendum erit; jam enim tantum ostendimus *aquilam*, quia *insigne Jovis* est, si Imperatori tribuatur, illius divinitatem denotare: in quem finem in aliis quoque *Augusti*, *Titi*, *Trajani* & *Antonini Pij* *Aquila* apparet *fulmen tenens unguibus*, item in quibusdam *Vespasiani*, *Titi* & *Pij*, *Aræ insidens*; item in *Antonini* quodam *globo stellato insidens*, plerumque cum *Consecrationis* inscriptione, & ad eternam simul memoriam denotandam, quemadmodum in nummo *Claudij Gothici* inscribitur. Quamquam ex eodem fonte *aquila* sæpe & *Summi Imperij* sit *insigne*; ob illud enim Imperator par habebatur *Jovi*, ut sicut hic in cælis, ita ille regat omnia in terris. In quem finem & alterum *Jovis* *insigne fulmen* nimirum toties tribuitur Imperatoribus, non tantum in *unguibus aquilæ*, sed interdum *post cervicem Cæsaris*, ut in *Augusti* quodam, item *Alatum* ib. & in *Ara* ib. ubi simul *Divinitatis* nota est, quod ex *Consecrationis* *Inscriptione* apparet. Item in *sella Imperatoria* in *Titi* Nummo, item *Caduceo* appictum ad denotandam belli & pacis potestatem, ut in *Antonianis* quibusdam observatur. Atque sic de *Jovis* *Insignibus*, cujus tandem habitu manifestè apparet *Tit. Claud. fulmen, cum hasta purâ tenens inter sex stellas*, quo clarius *Divinitatis* signum vix reperietur.

§. 9. Deinde *Apollinis* habitu secundum quosdam *Augustus* extat in Nummo aliquo, *Nudus rupi insidens & citharâ ludens* cum Inscriptioe:

CÆSAR. DIVI F.

Et *Caracalla* *lyram tenens in cippo* quodam cum *ramo*: cum Inscriptioe P. M. TR. P. XVIII. COS. IV. P. P. S. C. ubi tamen fortè utrinq; diversus ab inscriptioe est effigiei respectus, ut habitus ille nequaquam competat Imperatori, quemadmodum nec *Titus* per *scrofam* designatur, nec *Nero* per *noctnam*, quamvis utrobq; Imperatorum nominibus inscripti sint nummi illi. Rectius conjicimus *Apollinis Habitum* *Neroni* tributum esse, quum ipsum *pulsantem citharam* in nummo suo observamus. Ille enim ut referret *Phœbum*, in alio nummo *illius radios capite, & ramum manu* exhibet, cum inscriptioe AUGUSTUS GERMANICUS. Gestatq; *victoriolam* ob victorias *citharæ & cantus* sui. Unde *Populus* ei acclamabat: *Quàm pulcher Caesar, Apollo, Augustus, Unus veluti Pythius, nemo te per Jovem vincet Caesar.* Quemadmodum apud *Xiphil. h. l.* legimus.

§. 10. *Mercurij* habitu *Antinorum* expressit *Hadrianus*, interdum *equo insidentem*, cum *caduceo*, interdum *talaribus cinctum*, & *Pastori* similem, interdum cum *Pegaso*. Videatur *Occ. p. 244. seq.* Ita enim si mortuos *Majorum Deorum* habitu honorare vellent, *etatis & status differentiam* observabant, ut *Reges* habitu *Jovis*, *Reginas Junonis* aut *Cereris*, *puellas Veneris*, *Pueros Cupidinis*, *Juvenes Liberi* aut *Mercurij* insignibus ornarent, quemadmodum notat *Autor Observ. ad Tab. Carol. p. 63.*

§. 11. De *Herculis* Habitu §. 2. Cap. hujus, quædam notavimus, ad quæ hîc saltim adjicimus nummum quendam *Probi*, in quo *Imperator sub forma Herculis nudi sinistra clavam & exuvias Leonis tenet*, *dextram supra Tropæum* extendit ad denotandam fortitudinis suæ efficaciam. Inscriptio nummi est:

HERCULI ROMANO AUG.

§. 12. *Genij* plerumq; *Seminudi* cum *Cornucopie* pinguntur, atq; hîc habitu quoque observatur *Cæsar*, altera enim nummi cujusdam pars, *caput ejus laureatum cum stella*, altera ipsum *seminudum cum victoriola & cornucopie* ante *Martis simulacrum*

lacrum sedentem exprimit, inq; illa parte inscriptio est: DIVO JULIO. Tali ferè habitu quoq; *Poppæa uxor Neronis*, apparet in nummo quodam, nisi quod *velatum habeat caput*, & *dextrâ pateram*, quæ forma *Genius Populi Romani* sæpissimè in Numismatibus *Diocletiani* invenitur.

§. 13. *Junonis* insignia inter alia sunt *Sella*, *Sceptrum* & *Pavo*. His ornabantur *Augustæ* in Divas relatæ. Hinc illud apud *Prudentium*:

Adjecere sacrum, fieret quò Livia Juno.

Propterea inter nummos *utriusq;* *Faustine* aliquot *Sella* observantur cum *Sceptris*, & *Inscriptione AUGUSTA SC.* quæ nil aliud denotant, quàm honores *Faustinæ* delatos, per *Junonis* insignia. Ante quasdam *Sellas Pavo* cernitur, cum *inscriptione*: CONSECRATIO. Quemadmodum enim *Junonem Pavonibus* ferri putabant *Antiqui*, ita *Divarum animas Pavonibus* ad astra deportari dicebant *Romani*. Hinc solo sæpe *Pavone* consecratarum *Augustarum* Divinitas designatur. Videantur nummi *Domitillæ & Juliæ Titi F.* cujus quidam nummus pavonem expansâ caudâ stantem exhibet, propterea quod *Augusta* sit *Titi F. filia*, (quemadmodum habet *inscriptio*) vide etiam *utriusq;* *Faustine* nummos.

§. 14. *Veneris* quoq; habitu quædam *Augustæ* nummis excusæ cernuntur. Hinc in quodam *Faustina Mater*, *Cereris* habitu *spicas tenens* complectitur *F. Faustina*, *Veneris* habitu *pomum aureum* tenentem ad declarandam *letitiam* ex hujus venustate & illius *fœcunditate* conceptam, quemadmodum innuit *inscriptio*. Eodem *Veneris cultu cum Pomo* etiam *Major Faustina* exhibetur diciturq; *Venus Augusta*: quo nomine etiam *Julia Titi F.* gaudet; extatq; sub *Forma Veneris nude galeam & hastam tenentis*, *innixaq;* *columnâ cum acclinato clypeo*, qui alias *Veneris victricis* habitus est. Vide & alios nummos *Faustinarum*.

§. 15. *Cereri faeces* tribuuntur ob memoriam quæ sitæ filix & *spice* ob inventam *agriculturam*, quo habitu in effigibus *Augustarum* nihil est frequentius. Hinc *Faustina Major* interdum *facem cum spicis*, interdum *cum spicis hastam*, interdum *duas faces* in nummis tenet; Imò ferè in omnibus *statuis &*

gemmis cum *spicis* cernuntur Augustæ, quibus sæpe *papaver* ad-
dicum est, Cereri itidem sacrum, signumq; ut *spicæ*, fœcundita-
tis eximia.

§. 16. Porro & *Cybeles habitum* cum aliis observamus
Augustis communicatum. Ideoq; *Aeternitas Faustina* in quodam
ipsius nummo *Divam Turritam Curru à Duobus Leonibus vectâ* exhibet:
qui habitus sicut alias *Deum matris* est, ita hic præter *Fau-*
stinam, nemini potest tribui. Hinc posset videri probabile,
quod sub *habitu ejusdem Deæ*, in throno inter duos leones sedentis
altera Faustina MAGNÆ MATRIS Nomen obtineat, & *Julia Severi*
ob genitos *Caracallani & Getam Mater Deum* vocetur, de quo
judicium penes alios.

§. 17. Nec *Diana sive Luna* prætermittenda est, quæ
& apud Ægyptios Reginas significabat. Hujus habitu *Faustina*
Minor SIDERIBUS RECEPTA incedit, *facem manibus & lunam*
humeris exhibens. Eodem etiam *Julia Severi* bigis insistit & equos
moderatur. Videantur & nummi *Otacille & Salonina & Urbica*,
quib. omnibus *luna crescens in humeris* extat. Et huc quoque
illi nummi pertinent, in quibus *Luna crescens* apparet inter si-
dera quemadmodum illam *utriusq; Faustinae* numismata exhi-
bent, ut indicetur *Faustinas* jam esse inter *Astra* collocatas.

§. 18. De habitu *Constantiæ* quo *Antonia* exhibetur,
superius jam actum est. *Pietatis habitu Domitia* pateram cum
hastâ pura tenens cum *filiolo* suo extat, diciturq; *DIVI CÆSARIS MA-*
TER. *Spes residua* est, cui, teste Cicerone, 2. de Leg. *Calatinus con-*
secravit Ædem. Illa in nummis sæpissimè *stans* exhibetur, *hila-*
ri vultu, *sinistrâ manu laciniam elevans*, *dextrâ verò liliam tenens*,
ut censet Pierius L. 55. Cap. 9. Hierogl. & cum eo Autor observ.
ad Tabb. Car. p. 32. atq; sic quoque *Faustina Minor* apparet in
nummo quodam cum Inscriptione: *AUGUST. PII FILIA:* ad
indicandam spem, de Virtutibus *Faustinae* conceptam.

§. 19. Quartò *Cometam* in Nummis *Cæsaris* videmus ad
Divinitatem ipsius declarandâ, interdum quidè *cum ipsius effigie*,
interdum *solum*, cujus rei causam in *Svetonii Cæsare* c. 88. his ver-
bis legimus: *In Deorum numerum relatus est non ore modo decer-*
nentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem Ludis, quos primos
confe-

consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per 7. dies conti-
nuos falsit, exoriens circa undecimam horam. Creditumq; est ani-
mam esse Cesaris in Coelum recepti. Et hac de causa simuclacro ejus
in vertice additur stella. Hæc Svetonius. Ex quibus fortè dari
posset ratio, cur Cometa solus in nummis exhibitus, inscribatur
DIVUS JULIUS & non Genitivo vel Dativo Casu. Cæterum hac
stella postmodum Augustus etiam delectatus est, eamq; in Divi
Patris memoriam non tantum in galea depictam habebat, quem-
admodum Servius tradit ad Virg. Æneid. 8. sed etiam in clypeo,
quemadmodum ex nummo quodam Augusti colligitur, in quo
Venus victrix hastam puram & galeam tenens columnam innititur ad-
jacente clypeo, qui pro insigni habet stellam, cum Inscriptione: CÆ-
SAR DIVI F.

§. 20. Quintò in Claudij quodam etiam aliud Divini-
tatis Indicium apparet. Imperatori nimirum Augusto basi cui-
dam insistenti ab fove imponitur corona laurea cum inscriptione:
DIVUS AUGUSTUS. In æterni illius triumphi signum, quo
Augustus Cœleste Jovis Capitolium ingressus erat.

§. 21. Sextò Divinitas Imperatorum quoq; ita nota-
tur, ut illorum capita inter stellas appareant: quemadmodum
caput Augusti consecrati interdum inter duas, interdum inter
septem stellas observatur, & postremum quidem inter Claudij
nummos apud Occon. p. 108. In hunc pene modum DOMITIANI
F. Puer globo cuiusdam insidet, septem stellis circumdatus cum inscr.
DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIAN. F. Tab. Carol. 32. 14.
ita Hadrianus Trajani & Plautille facies exhibet, cum stellis ver-
ticibus eorum imminentibus inscriptio est: DIVIS PAREN-
TIBUS.

§. 22. Septimò Faustine quidam occurrit, in quo ipsa
velum per modum circuli caput ambiens tenet, & à bigis currui
insistens in coelum rapitur cum Inscriptione: ÆTERNITAS.
Non aliter ac Romulus Martis curru vectus in coelum credebatur:
& Herculem

-- Pater Omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugò currum radiantibus intulit astris. Apud O-
vidium Lib. IX. Metom. v. 271. De Oraculo, quod Juliano
pro-

promisit, eum curru igneo in caelum raptum iri videatur Suidas :
De nummo Constantini Magni, in quo ipse quadrigis insidens
demissa caelitus manu excipitur vid. Euseb. Lib. IV. c. 74. de Vit.
Constant.

CAPUT III.

De iis, quæ ad ceremonias consecrationis perti-
nent; Deq; honoribus consecratis exhibitis.

§. I. Haftenus illa vidimus numismata, quæ ipsam
Divinitatem Augustorum designant, nunc ad ea pergimus, ex
quibus Ceremoniæ Consecrationis observari possunt. De qui-
bus prolixè legi possunt Herodianus l. 4. c. 2. Xiphilinus in
Severo. Svetonius in Cæsar. c. 84. Dio in August. & ex recentio-
ribus Panvin. Fast. l. 2. Rosin. l. 3. c. 18. Kirchman, de fun. Rom.
l. 4. c. 13. seq. & alii. Ex his paucula tantum nummi habent; *altare*
nimirum, *rogum* ipsum & *dimissionem arum*. *Altare*, si modò
in omnium Consecrandorum pompa est exhibitum, procul
dubio illud est, in quo postea consecratis sacra fiebant. Neq;
enim verisimile est, illud Diis manibus statutum esse, quem-
admodum *in honorem Germanici factum esse* testis est Tacit.
Ann. XIV. Illis enim aras tantum non altaria consecrabant:
Vid. Serv. ad Virg. Eccl. 5. nec opus fuisset pro Imperatore, qui
Deus ipse superis accensebatur, sacrificare inferis. Hinc pro-
babile videtur aram illam in pompa portari solitam, post
consecrationem statim esse dedicatam. Hoc enim est certis-
simum, quòd Imperatoribus defunctis & consecratis statuta
fuerint aræ. De *Cæsaris enim ara* testem habemus Tranquil.
in Aug. C. XV. & Xiphil. ex Dione h. l. qui sic ait: *Plebs*
Cæsarem in foro combussit, postea sepelivit, tum aram ei dedicare,
ad eamq; tanquam esset Deus Cæsar sacrificia facere conata est. De
Ara Augusto dedicata videri potest. Sveton. in Claudii c. 2.
consentientibus nummis, in quib. hinc inde reperiuntur *Ara*
Augusti cum Inscriptione: **CONSECRATIO S.C.** (quar.
una *inferius habet assidentem Aquilam, & superius fulmen alatum*
ut potius nudi honoris, quàm sacror. gratiâ videatur constitu-
ta: quemadmodum etiam de illa quis posset conjicere, quæ in-

tel.

ter nummos Antonini Pij insidentem habet aquilam) de aliqua
quadam Faustina sic loquitur Xiphilinus: Senatus decrevit Mar-
co & Faustinae statuas argenteas, Romae in Templo Veneris collocari,
arantq; extrui, in qua Virgines omnes, quae nuberent in urbe una
cum sponis sacrificarent. Atque illa inter Faustinae nummos quo-
que exstat cum Inscriptione, CONSECRATIO. Talem
quoque Vespasiano nummi tribuunt, nec non Tito, Trajano, Se-
vero Alexandro, Volusiano, Valeriano Gallieni, Tetrico, Claudio,
Caro, Constantio, Nigriniano, Flavio Julio Constantio, & forte
aliis. Atque ita cum nullum sit dubium, quin consecratis de-
dicatae sint arae, maxime quoque videtur esse probabile aras
illas interdum in funebri Pompa cum funere in Campum
Martium fuisse delatas.

§. 2. Rogum s. tabernaculum in nummis hinc inde vi-
dere licet, potissimum in iis, qui in honorem Sabine, Antonini
Pij, Faustinae utriusq;, M. Aurelij, L. Veri, Pertinacis, Septimij Se-
veri, Juliae, Valeriani junioris & alior. sunt percussi. Describitur
autem ab Herodiano Lib. IV. Cap. 2. hunc in modum: In Cam-
po Martio, qua latissime campus patet, suggestus quidam specie qua-
drangula lateribus aequis assurgit, nulla praeterquam lignorum ingen-
tium, materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem in-
terius totum est aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis au-
ro stragulis atq; eboreis signis, variisq; picturis exornatum, supra
vero alterum minusculum quidem positum est, sed forma & ornatu
persimile portis januisq; patentibus. Tertium item & quartum
semper inferiore contractius ac deinceps alia, donec ad extremum,
quod est omnium brevissimum perveniatur. Possis ejus aedificij for-
mam comparare turribus his, quae portibus imminentes noctu igne
prelatò naves in tutas stationes dirigunt; Pharos, vulgò appellant.
Hæc Herodianus. Ubi notandum Pertinacis rogam formam Tri-
anguli extractum fuisse auroq; & ebore & nonnullis statuis orna-
tum, quemadmodum eundem describit Dionis Epitoma-
tor Xiphilin. in Severo. Et tales statuæ in Nummis quoque obser-
vari possunt: cumq; plerumq; quatuor tantum tabernacula ap-
pareant, eadem in secundo & tertio potissimum extant. Faustinae
vero matris rogam statuas nullas habet, sed ear. locò sex apparent

D

columnæ

columnæ per modum Templi Tabernaculo infimo impositæ, quibus deinde conclave tertium rotunda forma insistit, quam etiam supremam exhibet. Vid. Carol. Tab. 45. 17. Observavit quoque Xiphilinus, quod in summo rogi Pertinacis currus inauratus quo ille olim vectus sit, fuerit collocatus. Tales currus quoque in nummis observamus; aurigante figurâ quadam, quam statuam consecrandi esse existimo: & quadrigas quidem cernimus in Antonino Pio, Marco, Vero, Valeriano &c. Bigas verò in utraq; Faustina, ut appareat consecrandis Imperatoribus Quadrigas, uxori- bus verò earum bigas tantum fuisse adhibitas. Cernuntur quoque due faces inter conclavia suprema ardentes in nummis Marci, uxorisq; Faustine & alia similia.

§. 3. Tertium quod circa Consecrationis cerimoniam nummi habent, est avium dimissio, aquile nimirum in Imperatoribus & Pavonis in uxoribus matribus vel filiabus eorum Consecratis. De quo videatur Dio de Consecratione Pertinacis: Et Xiph. in Augusti funere: Nimirum alligata jam erat Avis in Tabulato superiori, incensa autem pyrâ conscendebat quidam, ut vincula solveret, quibus solutis longè lateq; libera volabat avis & supra fumum gyrabat, animam defuncti inter sidera portatura. Vide etiam Anton. Augustin. Dial. Antiq. 4. p. 58. Propterea M. Aurelius in nummo quodam Dei habitu hastam puram tenens aquile volanti & fulmen unguibus tenenti insidet, Carol. Tab. 47. 24. quem admodum paulò ante & Faustina conjugem pavoni impositam cum hasta purâ avolantem nummo expresserat ibid. Tab. 49. n. 20. Ita & Paulina in nummò suò ad astra volat, velum quoddam ad modum circuli utraq; manu tenens, ibid. Tab. 56. n. 22. & Mariniana apud Occon. p. 466. ubi tamen notatu dignum, quod non semper pavonibus deportate exprimantur Augustæ. Faustina enim matrem Aquila vehit in nummo quodam ita, ut caput ipsius septem stellis cinctum sit, & ipsa hastam puram & velum eternitatis argumentum teneat. Vid. Carol. Tab. 44. 19. Atq; ita quoque Sabina ad Astra tollitur per Aquilam apud Occon. p. 243.

§. 4. Tandem quoque honores nummis expressi qui consecratis jam & Deor. numerum adscriptis solebant exhiberi, subjungendi sunt. Quales sunt *Templa, Aræ, Sacerdotes, Sacrificia,*

cia, Statua, Columna, Thense, & Sella. Quamvis enim & adoratione, iuramentis, ludis & festis aliisque honoribus culti sint Indigetes, istos tamen honores, cum in nummis non extent, prætermittimus brevitatis causâ.

§. 5. Et *Templa* quidem consecrator. in nummis extant varia. Primo autem ex elegantissimo quodam nummo æreo, alterâ parte *caput Pompeji habente* cum inscriptione CN. POMPEJUS MAGNUS; & alterâ *Templum quadratum octo columnis innixum, cui superius impositum est tropæum, duobus captivis assidentibus, & adstantibus utrinque victoriolis; (ad latus comburitur aliquid, videtur caput Pompeji esse)* cum inscriptione COS. III. CONSECRATIO; manifestè apparet, consecratum quoque esse Pompejum, inque honorem ejus Templum extructum. Nummum neque Ursinus habet in Familiis, neque Gorlæus, qui multo est auctior Ursinò, neque Occo inter Pompeji nummos; neque videtur observatus esse à quopiam Antiquitatis Nummariæ Scriptore cum nulla ulibi extet ejus mentio. Possidetur autem ab Adm. Rev. Dn. M. Henrico Mayo Sym. ad Div. Nic. Lips. Meccenate meo nunquam satis colendo cum plurimis rarissimæ Antiquitatis numismatibus aliis, ex quibus quàm plurima huic Dissertationi inferere potui. Et genuinum esse materia, literæ & alia indicia docent, attritus quoque est aliquantulum. Quod igitur Pompeji Consecrationem attinet, illud quidem ita non est intelligendum, quasi eâdem Pompâ, qua deinde Imperatores publicè sit honoratus. Quum enim in *Ægypto à ministris Ptolemæi confossus & capite truncatus esset, corpus ejus in litore à Philippo liberto & alio quodam Cive Romano statim est combustum, & reliquie relatæ ad Corneliam, quæ illas in Albano humavit; teste Plutarchò in Ejus Vita.* Igitur Consecrationis vocabulum hîc tantum eos honores denotat, qui ipsi defuncto tanquam Heroi in cælum adsumto à quopiam sint decreti. A quo autem hoc factum si, Atppianus docet Lib. 2. de Bell. Bivil. Rom. sic inquiring de Cæsare: *Assistente vero exercitu Photinum quidem & Achillam, ob ea, quæ in Pompejum perpetraverant, morte mulctavit. Theodotum demum fugientem Cassius quum in Asiam venisset, cruce suspendit. Et mox: Caput Pompeji ad se delatum minimè intueri voluit Cæsar, verum*

sepeliri statim iussit. Templum quoque per exiguum ante urbem condidit, quod Indignationis Sacrum appellavit. Et quod etate mea, Trajanò Imperatore Judæor. Genus in Ægypto debellante, ab Judæis ipsis ad oportunitatem belli disjectum est. Hæc Appianus. Hoc Templum puto in nummo repræsentari, quia de aliis vix aliquid reperietur. Videatur Fort. Licetus Hierogl. C. 113. p. 250. De statua verò Pompeji in Funere Augusti inter alias Illustrium Civium statuas deportata videatur Xiph. in Augusti Vita.

§. 6. Deinde & Cæsaris Tempia in nummis cernimus: & illud quidem, de quo Dio Lib. XLVII. sic loquitur: καὶ ἠρώδης οἱ ἔντε τῆ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ κένεοντο, ἀρχαῖα τε ἄλλοις, in nummo quodam extat apud Occon. p. 17. qui alterâ parte effigiem Julij, Laureatam, cum cometa & Inscript. DIVO JULIO, alterâ verò Templum sex columnarum quadratum & cometam in tympano habens, cum statua Julij habitu Augurali cum lituo, in cippo stante exhibet: cum Inscriptione: P. LENTULUS MARCELLINUS AED. CUR. Aliud quatuor columnas habet, cometamque ut procedens, statuamque Cæsaris eodem habitu, sed non in Cippo cum inscr. DIVO JUL. in Zoophoro: juxta Templum ara est igne superimposito. Hoc positum est, cum IMP. CÆSAR DIVI F. esset III. VIR ITER R. P. C. COS. ITER ET TER DES. Sunt & alii nummi, qui Cæsaris Tempia exhibent & quidem quadrata quatuor columnarum Tab. Car. 9. n. 7, 8. cum Cometis. Vid. Vitruv. Lib. III. c. 2. Ovid. de Ponto Lib. 2. El. 2. & Metamorph. L. XV.

§. 7. Porro & Augusti Tempia in nummis observamus, illud nimirum, quod Æternitati ejus consecratum est, pulcherrimum, octo columnas exhibens cum inscr. CUST. ÆTERNITATIS AUGUSTÆ Tab. Carol. 16. 21. Occo p. 80. & aliud, quod Cæsar ipsi dedicavit, sex columnas ostendens, in quo sacrificat Caligula cum inscriptione nummi: DIVO AUG. SC. De hoc sic ait Dio: Deinde Cæsar habitu Triumphali Templum Augusti dedicavit, nobilissimis pueris cum virginibus ejusdem ordinis hymnum concinentibus vide Observ. ad Tab. Caroli p. 32. Aliud iterum, quod ipsi & Romæ à Communitatibus Asiæ positum videtur: ita enim habet inscr. COM. ASI. & in Zoophoro ROM. ET AUG. vide Loc. Svet. in Aug. c. 52. Sunt quoque nummi qui de restitutione cu-
jusdem

jusdem Templi Augusti restantur: ita Antonino Pio Cos. III. nummus cufus est, qui Templum 8. columnis suffultum habet cum inscript. TEMPLUM DIVI AUG. REST. vide Occon. p. 260. Hoc fortasse illud Tarraconense est, quod Hadrianus videtur incepisse restituere, teste Spartiano h. l. de pluribus Augusti Templis vid. Sveton. Octav. c. 5. & Tiber. c. 40. & 47. Dio Lib. LVI. Tac. i. & 4. Ann Plin. L. XII. &c.

§. 8. De Templo Claudij videatur Tac. L. 14. De Trajani v. Pallad. Arch. l. 4. c. 8. De Hadriani Spart. & Labaccus Archit. p. 17. De Vespas. Templo quoque videntur nummi perhibere testimonium. V. Tab. Caroli 27. n. 20. Porro quoque in nummis Faustine I. Templorum mentio existat, apud Occon. p. 272. & Carol. Tab. 44. 10. seqq. ubi interdum talis est inscript. Æ D. DIVÆ FAUSTINÆ. Interdum ÆTERNITAS SC. Interdum DEDICATIO ÆDIS. Et videntur omnino diversa esse Tempora vide nummos l. c. v. & Steph. Du Perac. Antiq. p. 3. ubi in Zoophoro ita legitur inscriptum: DIVO ANTONINO ET DIVÆ FAUSTINÆ EX SC. Unde apparet, aliud esse hoc ab illo, de quo loquitur Jul Capitol. inqviens: *Tertiô annô imperij sui uxorem Faustianam perdidit, quæ à Senatu consecrata est, delatis ei Circusibus & templo.*

§. 9. Eundem honorem etiam Maximiano Imperatori Filius Maxentius detulit: Hinc Nummus quidam: IMPER. MAXENTIUS DIVO MAXIMIANO PATRISOCERO.

ÆTERNA MEMORIA. *Templum in cuius apice aquila apud Occon. p. 523. Constantij quoque Templum nummi habent insistente itidem aquilâ: Inscr. Nummi est: DIVO CONSTANTIO AUG. Constantij caput velatum & in averfa: MEMORIA DIVI CONSTANTII ST. Occo p. 525. nec Romulus prætermitti debet, quem consecravit Pater Maxentius Templiq; honore coluit. Hinc in nummis ejus Templum apparet, valvis bipatentibus, in medio aquila. Alios similes ejusdem vide apud Occon. p. 543.*

§. 10. De aris supra abundè facta est mentio; igitur ad Sacerdotes properamus, de quibus prolixè Panvinius, Civitate Rom. p. 68. seqq. & Kirchmann. de Fun. Rom. Lib IV.

C. 14. p. 665. & Rosinus Antiq. Roman. Lib. III. c. 17. In nummo quodam *Antonij tripus* apparet cum *stellâ super imminente, & corvis insidentibus, lituo inidem & Simpuvio appositis*, ubi stella Sacerdotium Divi Julii indicat, quod Antonium habuisse Dio & Appianus perhibent, quod idem & Tripus indicat, quia sæpè in Tripo de sacrificabant Aræ loco. Vid. Obs. ad Car. Tab. p. 12. n. II. in aliis & quidem *Antoniae* nummis ipsa *Antonia facem tenet & Cornucopiae* cum inscr. SACERDOS DIVI AUGUSTI apud Occon. p. 100. Faces autem quia in Sacris accendebantur Sacerdotii Symbolum sunt. Hinc in alio *Antoniae* nummo, eâdem Inscriptione, DUE FACES exhibentur. Vid. de ejus Sacerdotio Dio Lib. LIX. Huc videntur referri posse illi nummi, in quibus mentio fit *Puellarum Faustinianarum* ab *Antonino Pio* in honorem conjugis mortuæ institutarum in Tab. in Car. 43. 17. 18. ita enim apud Occon p. 273. complenda est Inscriptio, ut pro R legatur E & N pro D fitq; Inscr. PUELLÆ FAUSTINIANÆ. De illis videatur Capitolinus in M. Aurelio & Kirchmann. de fun. L. IV. c. 14. p. 667. & Rubenius Electorum Lib. II. c. 36.

§. II. *Sacrificia* etiam Consecratis offerri solebant, de quibus egregius Caligulæ nummus, in quo in *Templo Augusti pulcerrimo Bos immolatur astante Cajo libante & Camillò ministrante* cum inscr. DIVO AUG. S. C. Vid. Tab. Car. 18. n. II. Extat quoq; de Sacrificiis antiqva Inscriptio Observ. ad Carol. Tab. 16. n. 23.

§. 12. Ad *statuas* pervenimus, de quibus varii varia. Nos nullas tangimus, nisi quas defunctis & consecratis collocatas nummi habent. Ita in *Templo Julij statua ipsius Augurali habitu lituum tenet, interdum stans, interdum in sella sedens. Augusti statua in Thensa Elephantis vecta radiatam coronam habet hastamq; puram & ramum tenet, qualis corona sæpius deinde Consecratis primùm, deinde promiscuè omnibus ferè Imperatoribus tribuitur; potissimùm circa tempora Decii & successorum. Vide de talib. coronis Demster ad Rosinum L. I. c. 13. p. 41. Vespasiani statua in Thensa victoriolam tenet cum hasta pura. Vide quoq; Columnam Antonini, Thensas Faustinae ejusq; Templâ*

item

item Marci Thensam & ea quæ supra de habitu Divino Imperatoribus tributo diximus. Huc quoque *columnæ* pertinent, qualis illa *Julij* est apud Sveton C. 85. & *Antonini*, quam in honorem Pii erexit M. Aurelius; expressitque nummò *peripetasmate quatuor columnarum circumdatam, cum statua Imperatoris dextra globum, sinistra hastam tenente* Tab. Carol. 42. n. 24. Trajani Columna ipsi vivo posita est.

§. 13. *Thensarum* quoque honor attingendus est, quæ sacra erant vehicula, quibus Divor. statuae vehebantur, in pompa Circensi potissimum. Antequam enim certamina in circo inciperent, insignis præmitti solebat apparatus, in quo statuae Deor. & nobilium matronarum, multorumque viror. illustrium sive curribus vehebantur, sive portabantur ferculis. Tales igitur currus etiam consecratis tribuebantur, ut illor. statuae hoc modo pompam Circensem eò redderent illustriorem. Trahebantur autem interdum *quadrigis elephantor.* quemadmodum de curribus Augusti nummi testantur, cum quibus Svetonius consentit in Claudio C. II. dicens: *Avie Livie divinos honores & in Circensi pompa currum elephantorum, Augusteo similem, decernendum curavit*: Et Xiphil. ex Dione in Nerone: *Elephantum, qui currum Augusti trahebat, in Circum ingressi cum eo usque, ubi Senatores sedebant, venissent, non ultra progressi constiterunt*, Inscriptio hor. nummorum est: *DIVO AUGUSTO S. P. Q. R.* atque ita quoque vehebantur *statuae Claudij & Agrippinae, Vespasiani, & M. Antonini* testibus nummis, & *Pertinacis*; Dione in Severo teste. Interdum & *bigis elephantorum* agebantur, quemadmodum *Faustinae Thense* in nummis apparent, interdum verò *mular. bigis*, quemadmodum *carpenta Agrippinae, Domitilla, Faustinae, &c.* in nummis observantur: interdum *quadrigis equor.* ut *Thensa Claudij victoriolis* ubique ornata, item *Vespasiani Thense* iisdem ferè ornamentis exculatæ, & quædam *Faustinae Thense* in nummis observantur. Ubi non immeritò notandum, quod Ludi Circenses, quamvis potissimum Cereri sacri essent, interdum tamen quoque delati sint consecratis. Unde Svetonius in Calig. c. 15. de ipso inquit: *Instituit Matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur.* Vide & locum Capitolini de Antonino Pio, quem supra §. 9. citavimus.

§. 14.

Q. 14. Tandem quoque *Sellas* consecratis tribuebant, quales in nummis Faustinae I. observari possunt. Ubi tamen sub finem merito observandum, tales honores interdum quoque vivis esse praestitos. Propterea Tranquill. in Caesare. c. 76. inquit: *Non honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam Dictaturam, Praefecturamque morum, insuper praenomen Imperatoris, cognomen Patris Patriae, statuam inter Reges, suggestum in Orchestra: sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est. Sedem auream in curia et pro tribunali Thensam et Ferculum Circensi Pompae, Tempora, Aras, simulacra juxta Deos, pulvinar, Flaminem, Lupercos, Appellationem mensis e suo nomine.* Hinc quoque de Augusto Servius ad illud Virgilii:

— erit ille mihi semper Deus illius aram &c.

Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum. Augustus Tempora vivus meruit. Confer ea, quae de sacris Caesi tradit Seneca Lib. De Tranq. An. C. 14. Et Sveton. in eo, c. 22. item quae de Domitiano habet Svetonius in vita ejus Cap. 14. & nummos Trajani, qui eum jam III. Cos. DIVUM appellant apud Oecon. p. 197.

Q. 15. Atque ita satis, ut puto, declarata est stupenda Gentium in fingendis Numinibus caecitas, & simul ostensus insignis ille antiquorum numismatum ad consequendam solidiorem eruditionem usus. Sit igitur

SOLI DEO GLORIA!

COROLLARIA.

1. An ex Versione 70. Interpretum, Codice Samaritico, Historiam Josephi, Fabulis Rabbiorum, et Antiquitatibus Chaldeorum, Aegyptiorum et Sinensium demonstrari possit, Natale mundi tempus vulgarem Aeram annis 1440. anticipare? N.
2. An ad formale Unitatis sufficiat Indivisio? Aff.
3. An Bonitas sit Conceptus Essentialiter latior, et tamen proximus Respectu perfectionis et Bonitatis in specie sit dicta? N.
4. An antequam crearetur firmamentum, fuerit tempus? Aff.
5. An propter condensationem et rarefactionem aeris statuendum sit Vacuum? N.
6. An Sigma Graecorum hac forma Σ. antiquitus fuerit usurpatum? Aff.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

